Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8322
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

pater domini nostri Jhesu Christi: inuoco nomen tuum sanctũ, ac præclare maiestatis tuæ clementiam supplex deposco, ut mihi peccatori auxilium præstare digneris, aduersus hunc spiritum nequissimum, ut ubicunq; latet audito nomine tuo uelociter exeat et recedat. Ipse tibi imperat maledicte diabole, qui uentis et mari, ac tempestatibus imperauit. Ipse tibi imperat, qui te de supernis coelorum in inferiora demergi præcepit: Ipse tibi imperat, qui te retrorsum redire iussit: audi ergò Sathanas uictus et prostratus, abscede ab ista famula Dei. N. in nomine domini nostri Jhesu Christi. Tu ergo nequissime Sathanas inimicus humani generis, mortis raptor, iusticiæ declinator, malorum radix, fomes uitiorum, seductor hominum, proditor gentium, incitator inuidiæ, origo auaritiæ, causa discordiæ, excitator dolorum, magister flagitiorum, quid stas et resistis ei, cum scis eum tuas posse perdere uires, illum metue, qui in Isaac est oblatus, in Joseph uenundatus, in agno occisus, in homine crucifixus deinde superauit: recede in nomine patris, et filij, et spiritus sancti, et da locum eidem spiritui sancto, per hoc signum sanctæ crucis domini nostri Jhesu Christi, qui uenturus est. etc.

Deus conditor et defensor humani generis, qui hominem ad imaginem et similitudinem tuam manibus, et proprio diuinitatis tuæ ore formasti, respice propitius super hanc famulam tuam. N. qui dolis serpentis inuidi adpetitur,